

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

Topica

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

si quos magis delectant soluta, & sequantur ea sanè modo, sic ut quis Phidias clypeum dissoluerit, collocacionis uniuersam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem: ut in Thucyde, orbem modò orationis desidero, ornamenta comparent. Isti autem cum dissolunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abjectum: non clypeum, sed ut in proverbio est (2 ceteri humiliter dictum est, tamen simile est) scopas (ut ita dicam) mihi videntur dissolvere, atque, ut planè genus hoc, quod ego laudo, contempsisse videantur, aut scribant aliquid vel Ilocrateo more, vel quo Æschines, aut Demosthenes utitur: tum illos existimabo non desperatione formidavisse genus hoc, sed iudicio refugisse: aut reperiã, ipsa eadem conditione qui uti velit, ut aut dicat, aut scribat utra voles lingua, eo genere, quo illi volunt. FACILIVS est enim apta dissolvere, quàm dissipata connectere. Res autem sic habet, (ut brevissime dicam quod sentio) compositæ, & apte, sine sententiis dicere, infamia est: sententiis autem sine verborum & ordine, & modo, infamia: sed ejusmodi tamè infamia, ut ea qui utantur, non stulti homines haberi

possint, etiam plerumque, prudentes: quo qui est contentus, quatur, Eloquentis verò, qui non approbatione solum, sed admiratione, clamores, plausus, si liceat, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius. (aaa) HÆRES meum de oratore, Brute, iudicium: quod aut sequere, si probaveris: aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum, in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro asseveravi, unquam affirmabo esse verius, quàm tuum. POTESSE enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri. Nec in hac modo re, quæ ad vulgus sensum spectat, & ad aurium voluptatem: sed quæ duo sunt ad iudicandum levissima: sed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius quod tenerem; aut quod iudicium meum dirigerem, quàm id, quodcumque mihi quàm simillimum veri videretur, cum ipsum illud VERVM in occulto lateret. Tu autem, velim, si tibi ea, quæ disputata sunt, minus probabuntur, ut aut majus opus institutum putares, quàm effici potuerit, aut, dum tibi roganti voluerim obsequi, verecundia negandi, scribendi me impudentiam suscepisse.

1. Sequantur ea sanè, modo sic, ut quis Phidias, &c.] Est à Palat. prim. ac secund. neque aliter Pithæanus, si que etiam edidit Manutius nepos, nisi quòd idem sequitur, pro quo tamen trias illa nostra sequatur. habet inquam: sed si quis magis delectant soluta, sequatur, &c. prius erat, sequantur ea. Item in quo quis Phidias, pro quibus ogelstis nobis Lambini liberalitas; sequantur ea sanè, modo cetera laudari possunt; ut si quis Phi-

dias, &c. regiè, sic volo, sic jubeo.

2. Est humiliter dictum est, tamen simile est.] Pall. posteriores, pr. enim & sec. item Pith. abiciunt voculas tres à fine.

3. Quæ duo sunt ad iudicandum levissima.] Sic Pall. priores duo & sextus, nam quart. & quint. accedunt exemplari Romano; cujus mentio apud Rivium, ostenduntque novissima.

1. 266

M. TULLII CICERONIS

AD

C. TREBATIVM,
TOPICA.

Synopsis Topicôn Ciceronis.

a ¶ De Topicis, seu de disciplina inveniendorum argumentorum, & ratione differendi ad C. Trebatium scribit. b Cujus partes, Judicialium (qua & Dialecticæ) & Inventio (qua & Topice) qua locos & sedes in quibus argumenta inclusa sunt, seu è quibus argumenta promi possunt eruimus: c Est enim nihil aliud locus, quàm argumenti sedes. Argumentum verò ratio, qua rei dubie facit fidem. d Locorum autem alii habent in ipso, de quo agitur, alii assumuntur extrinsecus. e In ipso inquam, de quo agitur, ut quæ totum parti nota, affectum rei: Extrinsecus quod absunt à re, longèq; remota sunt. f De his autem quæ in ipso de quo agitur inhaerent, generaliter hoc statuitur, Locos totius definitione, g partium enumeratione, h notatione, i rebus affectu explicari: k putà conjugatis, l genero, m generis forma, n similitudine, o differentia, p contrariis, q adjunctis, r Antecedentibus, s Consequentibus, t repugnantibus, u Efficientibus causis, ut affectu, ut operatione majoris, minoris, parvis, x Extrinsecus verò loci sunt ex auctoritate: y Speciatim verò alio asserri possunt. aa De definitione rerum corporalium & incorporalium. bb que ex partitione, ex divisione (quarum inter se differentia est) & translatione, sumuntur. cc Notatione, seu vi nominis & etymologia, seu veriloquio, vel simbolo rei. dd Ex rebus quodammodo affectu, ee putà conjugatione seu συζυγία, ff genere, gg similitudine & exemplis, hh differentia, ii Contrariis (Contrariorum autem alia ad-versa, privantia, relata, negantia) kk Adjunctis, qua scilicet ante rem, cum re, post rem evenire plerumque solent, ll A Consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, qua semper ac necessario talia sunt (hic autem nonnulla de septem concludendi modis interserit Cicero) mm Efficientibus causis, quarum alia vi sua efficiunt: alia tales: ut sine eis non possit effici. Harum rursus alia quiescit, nihil agentes, ac solitario, ut locus, tempus, materia, ferramenta, & similia: alia praecurrentes adjuvant non necessario: sic congressio amorem, amor flagitium praecedere solet. Hujus generis est etiam fatum) Ad hæc efficientium alia efficiunt nulla re adjuvante, alia adjuvanti volunt. Alia sine appetitione, voluntate, & opinione: alia voluntate, perturbatione, habitu, natura, arte, casu agunt. Harum quibusdam (putà natura & arti) constantia inest: alii non inest: idq; vel perspicue (quia ab appetitione & iudicio) vel lateat, vel quia à fortuna, nn Efficientibus, oo Comparatione majoris, minoris, parvis: in quibus spectatur numerus, species, vis, affectio. pp qq rr Extrinsecus autem argumenta ducuntur à Testimoniis: quorum auctoritas vel à tempore, (hoc est, ingenio, opibus, atate, fortuna, arte, usu, necessitate, corpore, idq; tormentis) vel animo illata, (cujus generalis dolor, cupiditas, iracundia, motus, meritis, somnis, imprudentia, vinolentia, infamia, concussio fortiorum fame) vel à virtute, idq; vel natura (ut sunt divina testimonia, veluti oracula, opera divina, somnia, visa,) vel industria hominum, seu virtutis opinione. ff ¶ Hu expositis illud intelligendum est, omni disputationi locos occurrere, non omnes, sed quosdam, in quibus alii etiam alii aptiores. tt Questionem autem aliam infinitam (qua & Thesis & propositum) aliam finitam (qua & Thesis & causæ

et causa certa personis, locis, temporibus, actionibus, negatis, definita. *uu* Item quaestiones aliam esse Cognitionis (cujus finis scientia) aliam Actionis. *xx* et Cognitionis quaestiones, an, quid, quale sit. *zz* An sit, conjectura quarimus. *Idg*, vario, ut si quarimus si necne, unde sit, quale sit, et qua sit commutatio rei. *aaa* Quid sit investigamus definitione, notione, proprietate, divisione, partitione, descriptione. *bbb* Quale sit quarimus vel simpliciter, (*idg*, vario, an expectandum vel fugiendum, an aquum, iniquum: honestum, turpe) vel comparate, ut quid intersit inter hoc et illud quodam alio majus aut minus. *ccc* et Actionis quaestiones, alia ad officium: alia ad motum animi exigendum, sedandum, tollendum pertinent. *ddd* Locos alios alii aptiores esse quasi in his superioribus dictum est. Nam ad quaestiones conjecturalem, an sit necne, loci ex causis, effectibus conjunctis: ad definitionem, seu ad quid sit, loci ex definitione, consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, adiunctis, causis, effectibus: ad quaestiones quale sit, loci alii aptiores. Nam in quaestione quid sit comparate loci ex comparatione: In de expectando, et fugiendo, loci ex commodi et incommodi animi, corporis, rerum externarum: In de honesto et turpi, loci ex bonis et malis animi. In de equo et iniquo, loci aequitate colligendi qua est vel Natura (qua licet tueri se et ulcisci) vel institutione (hujus pars alia legitima, alia conveniens, alia morum vetustate confirmata.) Rursus aequitas ad Deos, (hac pietas) ad manes (hac sanctitas) ad homines (hac iustitia et aequitas nominatur.) *cee* Et his quidem locis tractari potest quaestio infinita, seu *ff*ris. His autem finita, seu *ff*ris, quae et causa, *fff* Nam causa iudicii, loci ex iure et aequo, causa deliberationis in utili. Causa laudationis, loci ex honesto tractatur. Hic factum esse dicit. Ille primum factum aut futurum inficiabitur, (hac inficiali vel conjecturali) deinde negabit facti nomen (hac definitiva) postrema negabit injuriam factum: et hac iudiciali constitutio. Hujusmodi resutatio, *gg*ris et *ff*ris. *ggg* Ex quo statu efficitur consensus, quae *gg*ris *pp*ris, seu qua de re agitur. *hhh* Firmamenta autem seu continentia definitionis, *Jus*. Negat enim reus legem id dicitur (si forte ambiguum sit scriptum) negat legislatorem, testatorem, promissorem id voluisse (ut cum opponenda est scripto voluntas) vel scriptum scripto opponitur. *iii* Et hunc quidem in modum perpetua actiones tractantur: Sunt et sua quoque, locis tractanda exordia, tractanda narrationes, constitutiones, conclusiones, *kkk* Et haec de locis.



MAIORES nos res scribere ingressos, C. Trebati & iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Cum enim tecum in Tusculano esses, & in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidit in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo à me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi cum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore, ad eam rationem, via perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: *ve* recunde tu quidem, ut omnia, sed tamen ut facile cernebam te ardeat studio, mecum ut tibi illa traderem, egisti. Cum autem ego te non tam vitandi laboris mei causa quam quod id tua interesse arbitraret, vel ut eos per te legeres, vel ut totam rationem à doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed à libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus haec, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minimè sum admiratus, cum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipso philosopho praeter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modò rebus iis, quae ab illo dicta & inventa sunt, allici debuerunt: sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate. Non potui igitur tibi, saepius hoc roganti, & tamè verenti, ne mihi gravis esses, (facile enim id cernebam) debere diutius, ne ipsi juris interpreti fieri videretur injuria. Etenim cum tu mihi, meisq; multa saepe scripsisses, veritus sum, ne, si ego gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed, dum fuimus unà, tu optimus es rellis, quam fuerim occupatus. Ut autem à te discessi, in Graciam proficiscens, cum opera mea nec respub. nec amici uterentur, nec honestè inter arma versari possem, ne si tutò id quidem mihi liceret: ut veni Velliam, tuasque, & tuos vidi, admonitus hujus æris alieni, nolui deesse nec tacto quidem flagitationi tuae. Itaque haec, cum tecum libros non haberem, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsi, tibi que ex itinere misi: ut mea

diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed jam tempus est ad id, quod instituimus, accedere. (b) Cui omnis ratio diligens discedit in duas habet partes: unam inveniendi, alteram iudicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Iudicandi enim vias diligenter perfecti sunt, ea scientia, quam dialecticam appellant. Inveniendi vero artem, quae topicè dicitur, quaequid usum potior erat, & ordine naturae certè prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, & utramque, si erit otium perfecti cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur. Ut igitur earum rerum, quae absconditae sunt, demonstratio, & notato loco, facilis inventio est: sic, cum pervestigare argumentum alicuius volumus, locum nosse debemus, sic enim appellatur ab Aristotele sunt haec quasi sedes, è quibus argumenta pronuntiantur. (c) Itaque licet definire. Locum esse argumenti scdem: Argumentum autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem. (d) Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, haerent: alii assumuntur extrinsecus. (e) In ipso, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus, quae quodammodo affecta sunt ad id, de quo quaeritur. Extrinsecus autem ea dicuntur, quae absunt, longeque disjuncta sunt. (f) Sed ad id totum, de quo disceditur, tum definitio adhibetur, quae quasi involutum evolvit id de quo quaeritur. ejus argumenti talis est formula: *Jus civile est*, aequitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: ejus autem aequitatis utilis est cognitio: utilis est ergo juris civilis scientia. (g) Tum partium enumeratio, quae tractatur hoc modo: *Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. neque est ulla earum rerum: non est igitur liber.* (h) Tum notatio, cum ex vi verbi argumentum alicuius elicitur, hoc modo: *Cum lex Aelia Sentia a ssi duo vindicem assiduum esse jubet, locupletem jubet locupletem. Locuples enim est assiduum, ut ait Aelius, appellatus ab ære dando.* (i) Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quae quodammodo affecta sunt ad id, de quo quaeritur. Sed hoc genus in pluribus partibus distributum est. Nam alia conjugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex simi-

1. *Non tam vitandi laboris mei causa.* Hittorpianus liber abiecit causa. & verò si arcentius legas, adjectivum videbitur, & saepe eo modo Latini ipsaque Cicero.

2. *Quam quod id tua interesse.* Ita mss. nostri, ut & mox haec ut opinor Aristotelica, ubi adject. particula, mirifice exprimit fastidium rhetoris.

3. *Multa saepe scripsisses.* Hanc esse meliorum scriptorum lectionem prodidit Victorius annotationibus ad lib. vii Epistol. sicque fuit

in Hittorpiano & neque aliter invenit in suis Petrus Faber, qui consulari lib. i. Semestr. cap. 21. vulgatur antea, saepe cavisset.

4. *Quam ferri occupatus.* Libri publici, saepe occupatus, sed interjectum illud adverbium, abest à Pal. ab Hittorp. à Pecciano, & sententiam turbat.

5. *Cum lex Aelia Sentia, etc.* Non abimus à mss. minimè scemti generatam Lambini, qui hoc libello utem passim quidvis de or. quidvis mutat ex animi mera sui libidine.

similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum (k) Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno variè commutantur, ut *sapiens*, sapienter, sapientia. hæc verborum conjugatio, *συζωγία* dicitur, ex qua huiusmodi est argumentum: *Si compasusus ager est, jus est compascere.* (l) A genere sic ducitur: *Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata.* Forma enim à genere, quoad suum nomen retinet, numquam sejungitur. *Numerata* autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur videtur. A forma generis: *quam interdum, quò planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo: Si sita 1 Fabia pecunia legata est à viro, si ei viro materfamilias esset: si ea in manum non convenerat, nihil debetur.* Genus enim est, uxor: eius dux forma; una 2 matrumfamilias, earum, quæ tantummodo uxores habentur, qua in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non videtur. (n) A similitudine, hoc modo: *Si ades ex corruent, vitium fecerunt, quarum ususfructus legatus est, heres restituere non debet, nec restituere non magis, quam servum restituere, si is, cuius ususfructus legatus est, deperisset.* (o) A differentia: *Non. si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset: id circo, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt, multum enim differt, in arcane positum sit argentum, 3 an in tabulis debeatur.* (p) Ex contrario autem, sic: *Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum ususfructum legavit, cellis vinariis, & Martiis plenis relictis, putare id ad se pertinere.* usus enim, non abusus, legatus est: ea sunt inter se contraria (q) Ab adjunctis: *Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite numquam diminuit, non videtur ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessio dari.* adiungitur enim, ut secundum fervorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari. (r) Ab antecedentibus autem, & consequentibus & repugnantibus, hoc modo: Ab antecedentibus, *Si viri culpa factum est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* (s) A consequentibus: *Si mulier, cum fuisset nupta cum eo, quicum connubium non esset nuntium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* (t) A repugnantibus: *Si paterfamilias uxori ancillarum ususfructum legavit: à filio, neque à secundo herede legavit: mortuo filio mulier ususfructum non amittet.* quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo invito, cui datum est, auferri non potest repugnat enim rectè accipere. & invitum reddere (u) Ab efficientibus causis, hoc modo: *Omnibus est jus 5 parietem directum ad parietem communem ad jungere, vel solidum, vel fornicatum.* at si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit: non debet prestare quod fornicum vitii fecerit, non enim ejus vitio qui demolitus est, damnum factum est, sed ejus operis vitio, quod ita edificatum est, ut suspendi non possit. (x) Ab effectis rebus, hoc modo: *Cum mulier viro in manum convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, 6 viri sunt dotis nomine.* (y) Ex comparatione autem omnia valent, quæ sunt ejusmodi: 7 *Quod in re majore valet, valet in minore: ut si in urbe*

finis non reguntur, neque aqua in urbe arceatur. Item contra: *Quod in minore valet, valet in majore.* licet idem exemplum convertere. Item: *Quod in re pari valet, valet in hac, quæ par est: ut, Quoniam usus auctoritas fundi, 8 biennium est, sit etiam ædium.* at in lege ædes non appellantur, & sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus, valet æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat. (z) Quæ autem extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur, itaque Græci tales argumentationes, *ἀρετῆς* vocant, id est, *artus expertes*: ut si ita respondeas, *Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegendi causa relictum projiceretur, ex quo in relictum ejus, ædis qui protaxisset, aqua deflueret, id tibi jus videri.* (aa) His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperendum, tanquam elementis quibusdam, significatio, & demonstratio datur. Utrum igitur hæcenus satis est? tibi quidem tam acuto, & tam occupato, puto. Sed, quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere. Quando ergo unusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quadam membra habet, ea quam subtilissime persequamur, & primum de ipsa definitione dicatur. (bb) *Definitio*, est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima. Unum earum rerum, quæ sunt: alterum earum, quæ intelliguntur. *Esse* ea dico quæ cerni, tangi possunt, ut fundum, ædis, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera, quæ ex genere quadam interdum nobis definienda sunt. *Non esse* rursus ea dico, quæ tangi, demonstrative non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usufructu, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quantum rerum nullum subest quasi corpus: est tamen quadam conformatio insignita, & impressa intelligentia: quam notionem voco. ea sæpe in argumentando definitione explicanda sunt. (cc) Atque etiam definitiones, alia sunt partitionum, alia divisionum. Partitionum, cum res ea, quæ proposita est, quasi in membra discernitur: ut, si quis *jus civile* dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratum, more, æquitate consistat. Divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt, quod definitur, hoc modo: *Abalienatio*, est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. inter quos ea jure civili fieri possunt. Sunt & alia genera definitionum: sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent: tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt; cum sumeris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc, *Hereditas* est pecunia. Commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur: *qua morte alicujus ad quempiam pervenit.* nondum est definitio, multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Unum adde verbum, *jure*, jam à communitate res disjuncta videbitur, ut sit explicata definitio, sic: *Hereditas* est pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure. Nondum est satis: adde, *nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta contentum est.* Itemque, ut illud, *Gentiles* sunt, qui inter se eo-

N 5

DEM

1. *Fabia pecunia legata est.* [Alter isthæc interpretatur Hotomanus lib. 1. Observ. cap. 24.]

2. *Matrumfamilias, earum que.* [Et. Pothæanus, ea sunt que, &c. Pal. hæc est que, &c. ut appareat definitionem earum esse à glossa.]

3. *An in tabulis d. herat.* [Idem Hotomanus delendum putat dictionem. postremam cap. 25.]

4. *Malus ususfructus remittit.* [Illustrat Hotomanus libro 1. Observat. cap. 25.]

5. *Parietem directum, &c.* [Hujus quoque explicatio petenda ab Hotomanni lib. 1. Observ. cap. 1.]

6. *Viri sunt dotis nomine.* [De eo etiam Hotomanus disputationibus juris civilis de Doubus, cap. 1. §. 5.]

7. *Quod in re majore valet, valet in minore.* [Hotomanus interponendas putat duas negativas lib. 1. Observ. cap. 2.]

8. *Biennium est.* [Idem corrigendum putat libro 1. Observ. cap. 2.]

dem nomine sunt. Non est satis. *Quis ab ingenis oriundi.* Ne id quidem satis. *Quoniam in ipso nemo servitute servivit.* Abest etiam nunc: *Qui capite non sunt deminuti.* Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scævola, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque hæc ratio valet in utroque genere definitionum, siue id, quod est, siue id, quod intelligitur, definiendum est. partitionum autem, & divisionum genus quale esset, ostendimus, sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cætera. In divisione, formæ sunt, quas Græci *ιδίαι* vocant: nostri, si qui hæc fortè tractant, *species* appellant: non pessimè id quidem, sed iniuriter ad mutandos casus in dicendo. Nolin enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum, & speciebus dicere: & sæpe his casibus utendum est: at formis, & formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam definiunt hoc modo: *Genus*, est nomen ad plures differentias pertinens. *Forma*, est notio, cujus differentia ad caput generis, & quasi fontem referri potest. *Nomen* appello, quod Græci tum *ἄρσενος*, tum *θηλυῆς* dicunt. Ea est insita, & antè percepta cujusque formæ cognitio, enodationis indigens. Formæ igitur sunt hæ, in quas genus sine ullius prætermissione dividitur: ut si quis jus in legem, morem, æquitatem dividat. Formæ qui putat idem esse, quod partes, confundit artem: & similitudine quadam conturbatus, non satis acutè, quæ sunt secerenda, distinguit. Sæpe etiam definiunt & oratores & poëta per translationem verbi, ex similitudine cum quadam suavitate. Sed ego à vestris exemplis, nisi necessario, non recedam. Solebat igitur Aquilius, collega, & familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quæ rentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset *litus*, ita definire, quæ fluctus eluderet: hoc est, quasi qui adolescentiam, florem ætatis, senectutem, occasum vitæ, velit definire. Translatione utens discedebat à verbis propriis rerum, ac suis. Quod ad definitiones attinet, hæcenus: reliqua videamus. Partitione autem sic utendum est, nullam ut partem relinquant, ut si partem velis tutelam, inscienter facias, si ullam prætermittas. At si stipulationum, aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum *in re infinita* prætermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formatum enim certus est numerus, quæ cuique generi subiciantur. Partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivoꝝ a fonte deductio. Itaque in oratoris artibus, quæstionis genere proposito, quot ejus formæ sint, subiungitur absolute. at cum de ornamentis verborum, sententiarumque præcipitur, quæ vocantur *οὐκ ἰσομετρίας*, non fit idem. Res enim est infinitior, ut ex hoc quoque intelligatur, quod velimus inter partitionem, & divisionem interesse. Quamquam enim vocabula propè idem valere videantur: tamen quia res differant, nomina rerum distare voluerunt. (dd) Multa etiam ex notatione sumuntur. ea est autem, cum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci *ἐπιμορφίας* vocant, id est, verbum ex verbo, *επιλογισμὸν*. Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quæ sunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Ariostoteles *ἐπιμορφίας* appellat, quod Latine est *notæ*. Sed cum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo, ut, cum quaeritur, *Postliminium* quid sit, non dico, quæ sint postliminii. nam id caderet in divisionem, quæ talis est: Postliminio redeunt hæc, homo, navis, mu-

lus elitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet. Sed cum ipsius postliminii vis quaeritur, & verbum ipsum notatur: in quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi *post*, & *liminium* illud, productionem esse verbi vult, ut in *summo*, *legitimo*, *aditus*, non plus inesse *summum*, quam in *medullis sulcum*. Scævola autem, P. filius, junctum putat esse verbum, ut sit in eo, & *post*, & *limen*: ut quæ à nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, & ex suo tamquam limine exierint, dein cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest postliminio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditio, neque donationem sine acceptio- ne intelligi posse. (ee) Sequitur is locus, qui constat ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo ambiguntur: quem modò dixi in plures partes distributum. (ff) Cujus primus est locus ex conjugatione, 2. quam Græci *συζυγίας* vocant, finitimus notationi, de qua modò dictum est: ut, si *aquam pluviam* eam modò intelligeremus, quam imbrì collectam videremus: veniret Mucius, qui, quia conjugata verba essent pluvia, & pluendo, diceret. omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo crevisset. (gg) Cum autem à genere ducetur argumentum, non erat necesse id usque à capite accedere: sæpe etiam citrà licet, dummodo supra sit quod sumitur, quàm id, ad quod sumitur: ut *aqua pluvia* ultimo genere ea est, quæ de celo veniens crescit imbrì: sed propiore loco, in quo quasi jus arceri continetur, genus est, aqua pluvia nocens: ejus generis formæ, loci vitio, & manu nocens: quarum altera juberet ab arbitro coerceri: altera non juberet. Commodè etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere sumitur, cum ex toto persequere partes, hoc modo: *Si dolus* malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur: enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet. (hh) Similitudo sequitur, quæ late patet: sed oratoribus & philosophis magis, quàm vobis. Et si enim omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint: ubi autem his *genere*, quæstiones ipse te admonebunt. Sunt enim similitudines, quæ ex pluribus collationibus perveniunt quò volunt, hoc modo: *Si tutor* fidem præstare debet, si socius, si, cui mandaris, si qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perveniens quò vult, appellatur *inductis*: quæ Græcè *διὰ συζυγίας* nominatur: quæ plurimum est usus in sermonibus Socrates. Alterum similitudinis genus collatione sumitur, cum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: *Quomodo* si in urbe de finibus controversia est, quia fines, magis agrorum videntur esse, quàm urbis, finibus regundis 3. adigere arbitrum non possis: sic, si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquæ pluvie arcendæ adigere non possis arbitrum. Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa exemplis plurimis usus est, agere de eo qui *testamento* sic heredem instituisse, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius, quàm in suam tutelam venisset: secundus heres hereditatem obtinisset. quæ commemoratio exemplorum valuit, eaque vos in respondendo uti multum soletis. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim: sed ea oratoria magis sunt, quàm vestra: quamquam uti etiam vos soletis, sed hoc modo: Finge *mancipio* aliquem dedisse id, quod *mancipio* dari non potest. num idcirco id ejus factum

1. *Post et limen*) *ἔσπευοναι* (titul) Cujacius lib. 11. Observat. cap. 4.
2. *Quam Græci συζυγίας*) De loci sinceritate, disputat Victorius lib. xxiv. Var. lect. cap. 10.

3. *Adigere arbitrum.*) Sic & Victorius, non ut alii, *adigere* quod & rejicit Cujacius lib. 11. Observ. cap. 15.

Aut est, qui accepit: aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligavit? In hoc genere oratoribus, & philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augenda rei gratia, dicatur, aut minuenda: quæ hyperbole dicitur: & multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum, eisdem tamen ex locis (ut antè dixi) & in maximis, & in minimis quaestionibus argumenta ducuntur. (ii) Sequitur similitudinem differentia rei, maximè contraria superiori: sed est ejusdem, dissimile, & simile invenire. ejus generis hæc sunt: Non, quem admodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore auctore solvas: ita quod aut pupillæ, aut pupillo debeas, rectè possis eodem modo solvere. (kk) Deinceps locus est, qui à contrario ducitur. Contrariorum autem genera sunt plura. Unum eorum, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia & stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrit tamquam è regione quædam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas: ex quibus contrariis argumenta talia existunt: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: & bonitatem, si malitiam. Hæc, quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur ad-versa. Sunt enim alia contraria, quæ privantia licet appellemus Latine, & Græcè appellantur *επιτηδεια*. Propositio enim in, privat verbum ea vi, quam haberet, si in propositum non fuisset: ut dignitas, indignitas; humanitas, inhumanitas, & cetera generis ejusdem. Quorum tractatio est eadem, quæ superiorum, quæ ad-versa dixi. Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur: ut duplum, simplex; multa, pauca; longum, breve; majus, minus. 2. Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia, & *ἀντιπαρθε*. Græci, contraria æjentibus: ut, Si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantum intelligatur, argumento querendo, contrariis omnibus contraria non convenire. (ll) Ab adjunctis autem positi equidem exemplum paulo antè, multa scilicet adjungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is intulisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad conjecturales causas, quæ versantur in judiciis, valet: cum queritur, quid aut sit, aut venerit, aut futurum sit, aut, quid omnino fieri possit. At loci quidem ipsius forma, talis est. Admonet autem hic locus, ut queratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenit. Nihil hoc ad, quæ; ad Ciceronem inquit Gallus nollet, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de factio quereretur, tu tamen patiere, nullum à me artis instituta locum præteriri, ne si nihil, nisi quod ad te pertinet, scribendum putaris, nimium te amare videare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non jurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem. Antè rem enim queruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbra, & si quid ejusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, & si qua alia signa conturbationis, & conscientie: præterea relictus ignis gladius creuentus, ceteraque, quæ suspitionem facti possunt movere. (mm) Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adjunctis longè diversus est. Nam adjuncta, de quibus paulo antè dictum est, non semper eveniunt; consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessarîo consequuntur, itemque & antecedentia, & repugnantia. quidquid enim antecedit quamque rem, id coheret cum re necessarîo: & quidquid

repugnat, id ejusmodi est, ut coherere numquam possit. Cum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, repertiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. nam quid interest, cum hoc sumeris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, utrum hoc modo concludas argumentum: Si pecunia signata, argentum est: legata est mulieri. est autem pecunia signata argentum: legata igitur. An illo modo? Si numerata pecunia, non est legata, non est numerata pecunia argentum. est autem numerata pecunia argentum: legata igitur est. An illo modo? Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia: legatum autem argentum est: legata igitur numerata pecunia est. Appellatur autem dialectici eam conclusionem argumenti, in qua, cum primum assumptis, consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id, quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundus appellatur concludendi modus. Cum autem aliqua conjuncta negaris, & his alia negatio-rursus adjungitur, & ex his primum sumeris, ut, quod relinquitur, tollendum sit: is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia, proprio nomine enthymema dicatur, sed, ut Homerus propter excellentiam, commune poetarum nomen, efficit apud Græcos suum: sic, cum omnis sententia, enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiuntur, acutissima, sola propriè nomen commune possidet. Eius generis hæc sunt. Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil accusas, damnas: Bene quam meritam esse autumas, dicit male mereri. Id, quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest. Hoc differendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes sed philosophorum magis; quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disjunctionibus constant; aut hoc, aut illud: hoc autem; non igitur illud. Itemque, aut hoc, aut illud: non autem hoc: illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ratae sunt, quod in distinctione plus uno verum esse non potest. Atque ex his conclusionibus quas supra scripsi, prior, quartus; posterior, quintus è dialecticis modus appellatur. Deinde addunt conjunctionum negantiam, sic: Non & hoc est, & illud: hoc autem: non igitur illud. hic modus est sextus. Septimus autem, Non & hoc, & illud: non autem hoc: illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est ferè tota dialectica. Sed ne ea quidem, quas exposui, ad hanc institutionem sunt necessariz. (nn) Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paulo antè posui, & quidem ex jure civili: sed hæc patent latius. Causarum igitur genera, duo sunt: Unum, quod vi sua id, quod sub ea subjectum est, certè efficit, ut ignis accendit: Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, sed sine quo effici non possit: ut, si quis a, causam statua velit dicere, quod sine eo non possit effici. Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quæta, nihil agentia, si solida quodammodo; ut locus, tempus, materia, ferramenta, & cetera generis ejusdem: Alia autem præcurionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam efferunt per se adjuvantia, etsi non necessaria, ut amor congressio causâ attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex æternitate pendentium, statum à

Stoicis.

1. Græci appellantur *επιτηδεια* J. Hittorp. & liber m. qui in Bibliotheca Regia ad fontem Bellagouensem, cujusque lectione, à Gulielmo Fornorio enotata, ad Sessidum mihi anno Ch. XVII. Hugo Blozius, habebat Græci appellati, forsitan melius.

2. Sunt etiam illa valde contraria, Græci. Ita Hittorp. neque alio sita: Palatinus, qui tamen firmabat scripturam vulgatam; sunt etiam 2. adde: contraria alia, Græci.

scotis nectitur. Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi, sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim alix causæ, quæ planè efficiant, nulla readjuvante: alix, quæ adjuvari velint: ut sapientia efficit sapientis sola per se: beatus efficiat, nec ne sola per se, quaestio est. Quare cum in disputationem incidit causa efficiens aliquid necessariò, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere. Cum autem erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas: necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non ferè solet: hoc autem, sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Non enim si sine patentibus sili esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, in quo certe fit, diligenter est separandum. Illud enim est tamquam, *Vim non in nemora Pelio securibus*; Cæta cecidisset ab igne ad terram trabes. Nisi enim cecidisset ab igne ad terram trabes, Argo illa facta non esset, nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At cum in Ajacis navim *crispisulcanis ignem fulmen* injectum est, inflammatur navis necessariò. Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod alix sunt, ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione, solum quali opus efficiant, velut, ut omne inierat, quod ortum est. Alix autem aut voluntate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, ut tu, cum hunc libellum legis. Perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat. Habitu, ut facile & cito irascatur. Natura, ut vitium in dies crescat. Arte, ut bene pingat. Casu, ut prospere naviget. Nihil horum sine causa, nec quidquam omnino, sed huiusmodi causæ non necessariae. Omnium autem causarum in alii inest constantia, in aliis non inest. In natura, & in arte constantia est, in cæteris nulla. Sed tamen earum causarum, quæ non sunt constantes, alix sunt perspicuæ, alix latent. Perspicuæ sunt, quæ appetitionem animi, iudiciumque tangunt. Latent, quæ subiecta sunt fortunæ: cum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum est fortuna eventus, obscura causa, quæ latenter efficitur. 2 Etiam ut ea, quæ fiunt, partim sint ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt. Voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, quæ vel voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis est: ferire quem noxueris, fortuna. 3 Ex quo arces ille subicitur in vestris actionibus: *Si telum manu fugit magis, quam jecit.* 4 Cadunt etiam in ignoratorem, atque in imprudentiam perturbationes animi: quæ quamquam sint voluntariæ, (objurgatione enim, & admonitione desiciuntur) tamen habent tantos motus; ut ea, quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. (60) Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum magna argumentorum suppetit copia, in vestris autem si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim iudicia maximarum quidem rerum, in iurisperitorum mihi videntur esse prudentia. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio: & patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus, **EX FIDE BONA**, est additum; ubi verò etiam, **UT INTER BONOS BENE AGIER**: in primisque in arbitrio rei uxoris, in quo est: **QVID AEQUIVS, MELIUS**, parati esse debent. Illi enim dolum

malum, illi fidem bonam, illi æquum, bonum, illi quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cuius ea negotia fuissent; quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri prætare oporteret; quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modò oratoribus, & philosophis, sed juris etiam peritis copiosè de consultationibus suis disputare. (pp) Coniunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur ex causis. Ut enim causa effectum indicat, sic, quod effectum est, quæ fuerit causa, demonstrat. Hic locus suppetitare solet oratoribus, & poetis, sæpe etiam philosophis, sed iis, qui ornate & copiosè loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, cum denuntiant, quid ex quaque re sit futurum. **CAUSARVM ENIM COGNITIO**, cognitionem eventorum facit. (qq) Reliquus est comparationis locus, cuius genus, & exemplum supra positum est, ut ceterorum: quæ explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea, quæ aut majora, aut minor, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quadam etiam ad res aliquas affectio. Numero sic comparantur, ut *plura bona, paucioribus bonis anteponantur*: pauciora mala, malis pluribus: diuturniora bona, brevioribus: longè, & latè pervagata, angustiis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, & faciant. Specie autem comparantur, ut *anteponantur* quæ propter se expetenda sunt, iis quæ propter aliud: & ut innata atque innata, assumtis, & adventitiis: integra contaminatis: jucunda, minus jucundis: honesta, iis quæ utilibus: proclivis, laboriosis: necessaria, non necessariis: sua, alienis: rara vulgaribus: desiderabilia, iis, quibus facillè carere: ossis: perfecta, inchoatis: tota, partibus: ratione utentia, rationis expertibus: voluntaria, necessariis: animata, inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificiosa, non artificiosa. Vis autem in comparatione sic cernitur, *efficiens* causa gravior, quàm non efficiens: quæ se ipsis contenta sunt, meliora, quàm quæ egent aliis: quæ in nostra, quàm quæ in aliorum potestate sunt: stabilia, incertis: quæ eripi non possunt, iis, quæ possunt. Affectio autem ad res aliquas, est huiusmodi, *principum* commoda majora, quàm reliquorum, itemque, quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque, ut hæc in comparatione meliora, sic detiora, quæ iis sunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec submissionem, est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparantur: quæ ita ferè concluduntur, *Si consilio juvare civis, & auxilio, æqua in laude ponendum est: pari gloria debent esse ii, qui consulunt, & ii, qui defendunt* ar quod primum est: quod sequitur igitur. (rr) Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum præceptio, ut, cum profectus sis à definitione à partitione, à notatione, à conjugatis, à genere, à forma, à similitudine, à differentia, à contrariis, ab adjunctis, à consequentibus, ab antecedentibus, à repugnantibus, à causis, ab effectis, à comparatione majorum, minorum, parium, nulla præterea sedes argumenti quaerenda sit. Sed quoniam ita à principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, hætere, de quibus satis est dictum: alios assumi extrinsecus: de iis pauca dicamus: et si ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent: sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cepimus. Neque tu is es, quem nihil, nisi jus civile, delectet, &, quoniam ad te hæc ita scribun-

1. *Hoc ipsum est fortuna eventus, obscura causa, quæ latenter efficitur.* Hittoip. & Bellag. exemplar. *causa latenter efficitur.* at Pal. absq. vocula tercia est: ut forte referendum sit, *hæc ipsum fortuna eventus, obscura causa, latenter efficitur.*
2. *Etiam ut ea quæ sunt, etc.* Obsecutus fuisset libro Palat. & Bellag. quænti, in quibus non erat ut, quod in aliis comparat editionibus, nisi indicasset Lambinus Ant. Goveanum excludere illud, etiam inventi-

bus membranis & Memmii & Brissoni: ut scilicet hæc coherent cum prioribus, et tamen restat in Palat. partim sunt, non sunt; ut ceteræ habent editiones.

3. *Ex quo arces ille subicitur in vestris etc.* Delebimus illud subicitur, tamquam Librarii, si audimus Hittoipianum codicem.

4. *Cadunt etiam in ignoratorem.* Reposui etiam, loco enim, volens Pal. & Hittoipiano.

scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quamplurimum iis, quos *recta studia* delectant, prodesse possint. Hæc ergo argumentatio, quæ dicitur artis expertis, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus, omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. PERSONA autem non qualis cumque, testimonii pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quaeritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert. 1. Naturæ auctoritas in virtute inest maxime. (ff) In tempore autem multa sunt, quæ afferant auctoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingeniosus, & opulentos, & ætatis spatium probatos, dignos, quibus credatur, putant: non rectè fortasse, sed VULGARI opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt & qui iudicant, & qui existimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modò enumeravi, quamquam in iis nulla species virtutis est: tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quadam adhibetur: MAGNA enim est vis ad persuadendum, scientiæ: aut usus, plerumque enim creditur iis, qui experti sunt. Facit etiam necessitas fidem, quæ cum à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, & quæ à perturbacionibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem, & fidem. Cujus generis etiam illa sunt, ex quibus nonnumquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. Nam & pueri sæpe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: & per somnum, vinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudenter inciderunt, 2. ut Stajeno nuper accidit: qui ea locutus est, bonis viris subauscultantibus, *pariete interceptis*, quibus patefactis, in iudiciumque prolatis, rei capitalis iure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedæmonio Pausania accepimus. Concursio autem fortuitarum talis est, ut, si interventum est casu, cum aut ageretur aliquid, quod proferendam non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem conjecta *suspicionum* prodicionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Hujus etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. (ff) Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipertita sunt. Ex quibus alterum, natura valet: alterum, industria. Divina hæc ferè sunt testimonia: Primum orationis, oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio: Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quadam: Primum ipse mundus, ejusque omnis ordo, & ornatus: deinceps ærei volatus avium, atque cantus: deinde ejusdem æris sonitus, & ardores, multarumque rerum in terra portenta: atque etiam per exta, inventa præsentio. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. In homine VIRTUTIS opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modò eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos vident, quorumque vitam constantem, & probatam, ut Catonis, Lælii, Scipionis, aliorumque plurium, rentur eos esse, quales seipis velint. Nec solum eos censent tales esse, qui in honoribus populi, reque publica versantur, sed & oratores & philosophos, & poetas, & historicos: ex quorum & dictis, & scriptis sæpe auctoritas petitur ad faciendam fi-

dem. (uu) EXPOSITIS omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputacionem, in quam non aliquis locus incurrat, nec ferè omnibus locos incidere in omnem quaestionem, & quibusdam quaestionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. (xx) Quaestionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ἁπλοῦς Græci, nos *causam*. Infinitum, quod ἑτεροῦς illi appellant, nos *propositum* possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositum autem, in aliquo eorum; aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum, pars causæ est. Sed omnis quaestio, earum aliqua de re est, quibus causæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnumquam omnibus. (yy) Quaestionum autem, quacunque de re sint, duo sunt genera: unum, cognitionis: alterum, actionis. Cognitionis sunt hæc, quarum finis est scientia. Ut, si quaeratur, à naturæ *si profectum* sit, an ab aliqua quasi conditione hominum, & pactione. (xz) Actionis autem hujusmodi exempla sunt: *Sine sapientia* ad rempub. accedere. Cognitionis quaestiones tripartita sunt, cum, an sit; aut, quid sit; aut, quale sit, quaeritur. (aaa) Horum primum, conjectura: secundum, definitio: tertium, juris & injuriæ distinctione explicatur. Conjectura ratio in quatuor partibus distributa est, quarum una est, cum quaeritur, sine aliquid, altera, unde ortum sit, tertia, quæ id causæ effecerit, quarta, in qua de mutatione rei quaeritur: Sit, necne sit: Ecquidnam honestum sit, Ecquid æquum re vera, an hæc tantum in opinione sint: Unde autem sit ortum, ut, cum quaeritur, natura, an doctrina possit effici virtus. Causa autem efficiens sic, ut, cum quaeritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione, sic: Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam, (bbb) Cum autem, quid sit, quaeritur: notio explicanda est, & proprietas, & divisio, & partitio. Hæc enim sunt definitioni attributa: additur etiam descriptio, quam Græci περιγραφή vocant. Notio sic quaeritur, sine id æquum, quod ei, qui plus potest, utile est. Proprietas sic: In hominemne solum cadat, an etiam in belluas agriudo. Divisio, & eodem pacto partitio, sic: Triangula genera bonorum sint. Descriptio, Qualis sit avarus, qualis assentator, ceteraque ejusdem generis, in quibus natura, & vita describitur. (ccc) Cùm autem quaeritur, quale quid sit: aut simpliciter quaeritur, aut comparate. Simpliciter, Expetendane sit gloria: Comparate, Præponendane sit divitiis gloria. Simplicium tria genera sunt: de expetendo, fugiendoque: de æquo, & iniquo: de honesto, & turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem, & alio: alterum de majore, & minore. De expetendo, & fugiendo, hujusmodi: 3. Si expetendæ divitiæ, si fugienda paupertas. De æquo & iniquo: *Æquum* sit ulcisci, à quocumque injuriam acceperis. De honesto, & turpi: Honestumne sit, *pro patria mori*. Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum est de eodem, & alio: ut, si quaeratur, quid intersit inter amicum, & assentatorem: regem, & tyrannum. Alterum de majore, & minore: ut, si quaeratur, eloquentians pluris sit, an juris civilis scientia. De cognitionis quaestionibus hætenus. (ddd) Actionis reliquæ sunt: quarum duo sunt genera: unum ad officium: alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic; ut, cum quaeritur, suscipiendane sint liberi. Ad movendos animos, cum sunt cohortationes ad defendendam rempub. ad gloriam,

1. Natura auctoritas in virtute inest maxime. Vocula *inest* non conspicitur in Pallat. Hicorp. & Bellag. servant maxima. recte.

2. Ut Stajeno nuper accidit. (ff.) Est ab Historicis, annotatumque in hoc in Bellag. inter lineas, sed & alioquin alludebat. Pal. in quo

Stajeno.

3. Si expetendæ divitiæ, si fugienda. (ff.) Lambinus supposuit, *Sine expetendæ divitiæ, sine fug. (ff.)* sed non adjutus à nulli. libris. alterum sane rectè dicitur pluribus ostendit Cujac. lib. 1. tit. Obsev. cap. 37.

ziam, & ad laudem: quo ex genere sunt querela, incitationes, miserationesque flebiles, rursusque oratio cum iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exultantem letitiam comprimens, tum ætitudinem abstergens. Hæc cum in propositis quaestionibus genera sint, eadem in causas transferuntur. (ccc) Loci autem, qui ad qualque quaestiones accommodati sunt, deinceps est videndum. Omnes quidem illi, quos supra diximus, ad plerasque sunt: sed alii ad alias, ut dixi, aprioris. Ad conjecturam igitur maximè apta, quæ ex causis, quæ ex effectis, quæ ex conjunctis, sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & scientia definiendi. Atqui huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem, & altero diximus: quod genus forma quadam definitionis est. Si enim quaratur, idemne sit *permanencia*, & *perseverantia*, definitionibus judicandum est. Loci autem convenient in ejus generis quaestionem, consequentes, antecedentes, repugnantes, adjunctis etiam duobus iis, qui sumuntur ex causis & effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut, si hujus rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quovis horum id, de quo queritur, idemne, an aliud sit, inveniri potest. Ad tertium genus quaestionis, in quo, quale sit, queritur, in comparationem ea cadunt, quæ paullo antè in comparationis loco enumerata sunt. In illud autem genus, in quo de expetendo, fugiendoque queritur, adhibentur ea, quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemque cum de honesto, turpique queritur, ad animi bona, vel mala, omnis dirigenda oratio est. Cum autem de *aguo* & *iniquo* differitur, æquitatis loci colliguntur, hi ceantur bipartiti: & natura, & instituto. Natura parteis habet duas, *tutionem* sui, & ulciscendi jus. Instituto autem æquitatis, tripartita est. una pars, legitima est, altera convenientis, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus æquitas, tripartita dicitur esse: una ad superiores deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere: Prima, pietas: secunda, sanctitas: tertia, justitia, aut æquitas nominatur. (fff) De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt. Pleraque enim sunt ei cum proposito communia. (ggg) Tria sunt igitur genera causarum: iudicii, deliberationis, laudationis. Quarum fines ipsi declarant, quibus utendum locis sit. Nam *iudicii* finis est jus: ex quo etiam nomen. Juris autem partes tum expositæ, cum æquitatis. *Deliberandi* finis, utilitas: ejus hæc partes, quæ modò expositæ, rerum expetendarum. *Laudationis* finis, honestas: de qua item est antè dictum. Sed definitæ quaestiones à suis quæque locis, quasi propriis, instituantur, in accusationem defensionemque partita. In quibus existunt hæc genera, ut accusator personam arguat facti: defensor aliquid opponat de tibus, aut non esse factum: aut, si sit factum, aliud ejus facti nomen esse: aut jure esse factum. Itaque aut *instituti*, aut *conjecturalis* prima appelletur: *definitiva*, altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, *juridicialis* vocetur. Harum causarum propria argumenta ex iis sumta locis, quos exposuimus, in præceptis oratoris explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quæ Græcè *coloris* dicitur, Latine appelletur *status*: in quo primum insidit quasi ad repugnandum congressa defensio. Atque etiam in deliberationibus, & laudationibus iidem existunt sta-

tus, Nam & negantur sæpe ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possint. in qua argumentatione status conjecturalis existit. At, cum aliquid de utilitate, honestate, æquitate, differitur, de quæ iis rebus, quæ iis sunt contraria: incurrunt status aut Juris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest, id factum esse, quod laudetur: aut non esse nomine efficiendū, quo laudator affecterit: aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non jure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum. (hhh) Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam Græci *επιπροσπορευ* vocant. mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, & *qua de re agitur*, vocari. (iii) Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, ex continentibus vocentur, quasi firmamenta defensionis: quibus sublati, defensio nulla sit. Sed, quoniam *legis* firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adjutricem, & testem adhibeamus. In qua re alii quasi status existunt novi, qui appellantur *legitima disceptationes*. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adversarius vellet, sed aliud: Id autem contingit, cum scriptum ambiguum est, ut dua differentes sententia accipi possint: Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut queratur *verbane* plus, an sententia valere debeat: Tum legi lex contraria assertur. Ita sunt tria genera, quæ controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti & voluntatis, & scripta contraria: Jam hoc perspicuum est, non magis in legibus, quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex scripto aguntur, posse controversias easdem existere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. (kkk) nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adjuvantur, partim propriis, partim communibus: ut in *principiis*, quibus ut benivolii, ut dociles, ut attentii sum, qui audiant, efficiendum est propriis locis. Itemque *orationes*, ut ad suos sincis spectent, id est, ut planæ sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moderate, ut cum dignitate, quæ quamquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi. Quæ autem consequitur narrationem *fides*, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi. *Peroratio* autem & alia quædam habet, & maximè amplificationem: cujus effectus is debet esse, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur: & si ita jam affecti antè sunt, ut augeat eorum motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo & misericordia, & iracundia, & odium, & invidia, & ceteræ animi affectiones perturbantur, præcepta suppeditantur, aliis in libris, quos poteris mecum legere, cum voles. (lll) Ad id autem, quod te velle senseram, cum iudicatus factum esse debet voluntati tuæ. Nam, ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione repeririendum pertineret, plura quam à te desiderata erant, sum complexus, fecique quod sæpe *liberales venditores* solent, ut, cum ædes, fundumve vendiderint, ruti casis receptis, concedant tamen aliquid emtori, quod ornandi causa aptè, & loco positum esse videatur. sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quadam voluimus non debita accedere.

M. TUL-

1. *Quæ de re agitur, vocari.* Explicat istud eleganter & perspicue, ut semper omnia, Petrus Faber lib. I. Senestr. cap. 11.